



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

Præfatio In Commentarium Ad Regulas Juris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

PRÆFATIO

In Commentarium

A D

Regulas Juris.



Umni Pontifices Canonum Conditores Decretalibus suis Epistolis breves quasdam sententias, quas Regulas dixerunt, pro Coronide subjunxerunt, quibus, quæ singulariter statuerunt, universaliter complexa, quia ultimò dicuntur, melius memoriæ commendarentur; ideo verò hunc Ordinem observarunt, ut ostenderent, quod non ex Regula jus sumatur, sed ex Jure quod est, Regula fiat. *L. i. ff. de Reg. jur.* ne igitur Eximius Institutionum Canoniarum Author ejus videretur negligere Ordinem, cujus secutus fuerat Doctrinam, Institutionum operi succinctam Regularum Juris Canonici interpretationem subnectere voluit, quam, cum præfati juris scriberet Candidatis, ita temperavit, ut amputatâ tam sententiarum quàm verborum superfluitate, apertiozem redderet veritatem, & faciliorem traderet intellectum; utque ab universalibus rediret ad particularia & in Exemplis demonstratæ clarius caperentur Regularum sententiæ, eisdem casus speciales subjecit, quos quia inter domesticos parietes Collegii sui, cui præerat, Alumnis prælegit publico hucusque ut plurimum ignotos, illos sine invidia omnium communicamus notitiæ &, ut confidimus utilitati.

Si quid benevole Lector, justè & rectè sine defectu actum velis, Regulas has cape, & secundum veriozem earum intellectum operare, ac DEUM Dominum coeli & terræ Conditorem qui sine Regula & sine mensura infinitè justus & rectus sine Regula tamen nihil constituit, sed omnia ad Regulam exactissimè in numero, pondere & mensura disposuit, prudenter imitaberis, & optimam humanæque Societati perquam necessariam virtutem justitiam tractabis optimè Vale,

TRAC.